



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Et Svffraganeis Ecclesiæ Senonensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

PHILIPPO ILLVSTRI
Regi Francorum.

Epiſt. 190.
Ut regalia reſtituitae Episco-
pis Aurelian. & Antiochieno-
renſi.
Vide lib. 10.
Epiſt. 195. lib.
24. Epiſt. 52.
161. 106. 107.
Epiſt. 15. Epiſt.
39. 40.

CVM alij Reges & Principes rationes & libertates ecclesiasticas persequuntur, nos, fili carissime, te illis obicimus in exemplum quod eas in regno tuo custodis illas; propter quod & Dominus iustus judex te ac regnum tuum haec tenus custodivit illas, quin etiam magnificè augmentavit, nec augmentare ac custodire desistet quandiu tu & heredes tui fideliter curaveritis in hoc laudabili proposito permanere, quod & apud Deum est meritorium & apud homines gloriosum. Nam si ad regna vicina pariter & remota oculos tuae considerationis extendas, manifeste videbis quam graviter Deus illa contriverit quorum [Reges & Principes] rationes & libertates ecclesiasticas infringere præsumperunt. Nuper autem, quod dolentes referimus, nostris estauribus intimatum quod tua regalis sublimitas contra venerabiles fratres nostros Antiodorenſi & Aureliensem Episcopos indignata remagi præcepit nonutique sui moris, sed nec etiam sui juris, dum eorum saifiri fecisti regalia, immo. etiam quædam alia præter illa; cùm nedum de aliquo forisfacto confessi fuerint vel convicti, nec etiam ad satisfaciendum commoniti vel inducti, levi occasione prætenſa, quod quidam eorum milites in tuo exercitu constituti ad locum quem eos adire præceperas ire cum aliis noluerunt, absentibus eisdem Episcopis per licentiam à te liberaliter impetratam. Et cùm tam per se ipſos quam etiam per venerabiles fratres nostros Senonensem Archiepiscopum & coepiscopos suos tibi humiliter supplicaverint ut faceres eis reddi regalia sic subtracta, paratis postmodum curia tuae subire judicium, sicut in talibus fieri consuevit, tu supplications eorum admittere noluisti, sed cogis eos miserabiliter exulare. propter quod ipsi de prudentum viorum consilio terrari tuam in eorum dioecesis constitutam supposuerunt ecclesiastico interdicto; sed nec sic potuerunt à te satisfactionem aliquam obtinere. unde coacti sunt apostolicum patrocinium implorare. Quocirca serenitatem tuam rogandam duxiſus & monendam, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus pro divini nominis gloria & apostolicae sedis honore facias prefatis Episcopis subtracta restitui universa, & eos secundum consuetudinem approbatam justè ac modestè trahari, donando nobis intercedentibus pro

Deo & propter Deum si quam præfati Pontifices adversum te commiserent offendam, ne hac occasione contingat inter regnum & sacerdotium scandalum exorni; quia nos in majoribus tibi curabimus gratis, favente Domino, vicissitudine respondere. Datum Laterani xxi. Kalend. Ianuarij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAGANEIS
Ecclesiæ Senonensis.

Scribimus carissimo in Christo filio no- Ep. 111.
Super eadem stro Philippo illuftri Regi Francorum quod cùm alij Reges & Principes rationes & libertates ecclesiasticas persequuntur, nos eundem Regem illis obicimus in exemplum quod eas in regno suo custodit illas, propter quod & Dominus iustus judex ipsum &c. in eundem ferè modum ut in alia usque in finem. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præfatum Regem ad hoc moneatis prudenter & efficaciter inducatis quod super his Deo & Ecclesiæ satisfaciat ut tenetur, impendentes, auctoritate nostra suffulti, prædictis Episcopis in jure suo consilium & auxilium opportunum, ne vigor ecclesiastice libertatis per novæ præsumptionis insolentiam violetur. Datum ut in alia per totum.

ATHENIENSI, NEOPATRENSI,
& Larisseno Archiepiscopis, & Davalensi,
Fermipilenſi, Avalonensi, Sydonensi,
Castoriensi, & Zaratoriensi Episcopis, &
Thebano, Citrenſi, Nazoreſtenſi, & Valacensi eleſtis.

CVM a nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor aquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, venerabiles fratres Archiepiscopi & Episcopi, & dilecti in Domino filii eleſti, vestris iustis precibus inclinati, resignationem Ecclesiarum, monasteriorum, possessionum cum pertinentiis suis, necnon etiam Presbyterorum & ecclesiasticarum personarum cum omnijure suo, quam nobiles viri Principes & Barones commorantes à confinio Thessalonicensis regni usque Corinthum in manus venerabilis fratris nostri Constantinopolitani Patriarchæ, consentiente ac approbante carissimo in Christo filio nostro Henrico Constantinopolitano Imperatore illustri, (salvo tamen terrarum censu qui crustica Græco vocabulo nuncupatur, & dudum solvebatur à Græcis) unanimi voluntate